

« Assignatis sanctis titularibus patronis sub quorum invocatione, in unaquaque ex sexaginta erectis metropolitanis et cathedralibus respective Ecclesiis templum majus erit appellandum, prefinitisque singularum diocesium limitibus, postulat rerum ordo ut, ad reliqua procedentes, ab earundem Ecclesiarum capitulis ducamus exordium. Inter cetera enim, quae nobis a Sanctissimo D. N. in saepe laudatis litteris apostolicis mandata sunt, alterum haud est ut, suppressis jam a Sanctitate Sua antiquis omnibus Gallicani territorii capitulis, nova in singulis metropolitanis et cathedralibus ecclesiis, qua ratione fieri poterit, constituantur. Quod cum ita nobis commissum sit ut facultas quoque has partes subdelegandi per memoratas litteras apostolicas nobis ipsis tributa fuerit, ideo, hujus facultatis vigore, archiepiscopis et episcopis Galliarum primo futuris facultatem concedimus ut, posteaquam canonice instituti, Ecclesiarum suarum regimen actu consecuti erunt, capitulum in metropolitanis et cathedralibus respective Ecclesiis suis erigere ipsi possint, juxta formam a SS. canonibus conciliisque praescriptam, et ab Ecclesia huc usque servatam, cum eo dignitatum et canonicorum numero, quem ad eorundem metropolitanarum et cathedralium Ecclesiarum utilitatem et honorem, attentis rerum circumstantiis, expedire judicabunt.

» Eisdem autem archiepiscopos et episcopos enixe adhortamur ut, quanto citius fieri poterit, supradicta facultate, ad suarum diocesium utilitatem, Ecclesiarum tam metropolitanarum quam cathedralium honorem, religionis decus, ac administrationis suae levamen utantur, memores eorum quae ab Ecclesia circa capitulorum erectionem et utilitatem sancitae sunt; quod quidem eo facilius ab ipsis peragi posse confidimus quod, in ipsamet supra memorata conventionem inter Sanctitatem suam et Gallicanum gubernium Parisiensi feliciter inita, statutum sit singulos archiepiscopos et episcopos Gallicani territorii unum in ecclesia metropolitana et cathedrali capitulum habere posse. »

Quamvis card. Caprara verbis illis enixe adhortamur utatur, evidentissime ex circumstantiis demonstratur materiam hujus consilii esse de se necessitativam; nam legatus a summo Pontifice mandatum de capitulis erigendis expressum acceperat, ut ipsemet aperte fatetur, et illius mandati ad episcopos primo futuros, virtute facultatum ipsis subdelegatarum, exequendi curam transmittent. Cf. *Des chapitres cathédraux en France*, etc. cap. v et vi.

## ADNOTATIO XIX.

*Lib. I, Tit. II, § XIII, n. 315; pag. 171.*

DE LEGIBUS RECENTIORIBUS A POTESTATE CIVILI LATIS CIRCA RES ET PERSONAS ECCLESIASTICAS IN GALLIA.

Ex erroneis notionibus circa res mixtas, id est, relationem simul habentes cum religione et bono

ordine status, vulgatis, et tanquam inconvulsa principia immerito receptis, emanarunt in Galliarum leges a potestate civili sancitae, res et personas ecclesiasticas attingentes, ita ut, hodiernis temporibus, arbor scientiae juris civilis quasi novum juris civilis ecclesiastici scilicet ramum produxisse videatur. Cf. Adnotationem V supra. « Jus positivum humanum, inquit auctor noster, in Procem., § II, n. 28, recte subdividitur in jus gentium, civile et ecclesiasticum; ita communis. » Hanc divisionem tollunt novatores, et irruptionem potestatis civilis in dominium Ecclesiae aperte confitentur, duo qualificativa *civile et ecclesiasticum* eidem juri tribuendo. Unde jam necessarium evadit cognoscere leges sic a civili potestate inductas, quae nullibi, nostro sensu, accuratiori methodo digestae fuerunt quam in opere quod inscribitur: *Cours alphabétique, théorique et pratique de la législation civile ecclésiastique... contenant tout ce qui concerne les lois dans leurs rapports avec la religion*, a DD. André, protonotario apostolico ad instar participantium etc. Parisiis, Boulotte. Cui, pro majori utilitate studiosorum, adjungemus folia mensilia nuncupata: *Journal des conseils de fabriques et du contentieux du culte*, Parisiis edita ab anno 1834 ad annum 1832 et in tomos decem et octo distributa; nec non posteriora: *Nouveau journal des conseils de fabriques*, etc., quae ab anno 1832 prioribus successorunt, et etiamnum eduntur.

Insuper consulendi sunt libri, quorum tituli infra referuntur:

*Dictionnaire raisonné de droit et de jurisprudence en matière civile ecclésiastique*, a D. Prompsault, Migne, 1849; 3 vol. in-4<sup>o</sup>.

*Traité de la législation des cultes, et spécialement du culte catholique, ou de l'origine, du développement et de l'état actuel du droit ecclésiastique en France*, a D. Gaudry, in curia Parisiensi advocatorum olim antecessore; Parisiis, Durand, 1834; 3 vol. in-8<sup>o</sup>.

*Recueil général du droit civil ecclésiastique français, depuis le commencement de la monarchie jusqu'à ce jour*, a D. G. de Champeaux, sec. edit. Parisiis, Courcier; 2 vol. in-8<sup>o</sup>. Huic operi adjici possunt tolia mensilia, ab eodem auctore concinnata sub titulo: *Bulletin des lois civiles ecclésiastiques*.

*Traité de l'administration du culte catholique*, Vuillefroy.

*Questions de droit administratif*, de Cormenin.

## ADNOTATIO XX.

*Lib. I, Tit. II, § XIV, n. 334; pag. 175.*

UTRUM QUEDAM LEGES, A TEMPORE CONCORDATI ANNI 1801 IN GALLIIS AB AUCTORITATE CIVILI LAE, TACITO CONSENSU ET PRAXI ECCLESIAE CANONIZATAE FUERINT?

Respondendum negative. « Hoc sciendum, inquit auctor noster, quod approbare statuta laicorum in

ordine ad ecclesias et ecclesiasticas personas sit casus Papae reservatus; siquidem inferior ab eo non potest laicis committere negotia ecclesiastica. » Agitur hic imprimis de lege fabricarum, die 30 decembris 1809, a gubernio Gallico lata et usu quotidiano receptissima. Quamvis inter decreta concilii Tolosani legamus, art. XVIII: « Sedulo episcopi invigilent in his quae fabricarum constitutionem, rectam bonorum et reddituum administrationem, necnon sacrorum aedificiorum ac suppellectilis reparationem et conservationem attinent; » et inter decreta concilii Auscitani, tit. II, cap. II: « Bonorum ecclesiae administratio a consilio fabricae exercetur. Supereminet autem episcop. moderamen cujus est praecipuus actus approbare, et cui etiam ratio erit quotannis reddenda impensarum, quae anno praecedenti factae sunt, et quae per annum subsequentem faciendae proponuntur; » quamvis etiam episcopi frequenter urgeant observantiam praedictae legis necessitate compulsi, nullam ei vim canonicam, defectu scilicet potestatis simul et libertatis, adjecerunt.

Audiat ea de re auctor *Praelectionum jur. can. in semin. S. Sulpitii habiturum*: « Legislationem civilem de regimine bonorum ecclesiasticorum referre opportunum imo necessarium duximus, ut clerici ediscant quae in hac parte statuta sunt; utque praecaveant qui publico ministerio addicti sunt ab agendi ratione quae in discrimen adduceret bona temporalia Ecclesiae. Sed animadvertere simul debuimus eandem legislationem non consentire, sub variis respectibus, cum libertate Ecclesiae et sanctis canonibus. Concilium Lateranense I, can. 4, statuit « ut laici, quamvis religiosi, nullam disponenti de rebus ecclesiasticis facultatem habeant, » sed omnium negotiorum ecclesiasticorum curam habeat episcopus. » Gregorius X edidit legem in concilio Lugdunensi qua prohibitum fuit: « Unius versos et singulos prelatos ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu jura ipsarum, laicis » submittere, subicere, vel supponere, absque capituli sui consensu et apostolicae Sedis licentia. » Cap. *Hoc consultissimo*, 2, *De reb. Eccl. non alienandis*, in sexto.

« Non exposcimus quidem ut immutetur ratio generalis administrandi bona ecclesiastica per fabricam: magnas potius utilitates comperimus in eo modo gestionis, qui in concilium advocat viros selectos e parochia, expedit titolarem sollicitudinibus temporalibus, et simul etiam removet ab eo omnem suspensionem seu cupiditatis, seu negligentiae, in dispensatione bonorum. Consiliiarii, pro sua experientia in negotiis mundanis, magnam securitatem praestant, quod unicuique perspicuum est.

» Nec etiam dicemus principem civilem penitus abstinere debere ne se ulla ratione ingerat in administrationem bonorum temporalium Ecclesiae, ullo modo huic administrationi advigilet aut de illa curet. Cum gubernium assumpserit onus supplendi, ex publico aerario municipiorum et reipu-

publicae, quae necessaria sunt instaurationi sacrarum aedium, sumptibus cultus publici, et clericorum parochialis sustentationi, nequaquam praesumendum est ut omnem curam dimittat de conservatione et alienatione bonorum quibus communitates ecclesiasticae sibi partim sufficiunt. At vero cum, ex inconvulsa doctrina catholicorum, res sacrae administrationi Ecclesiae subiaceant et Ecclesia suis juribus a nulla potestate humana privari legitime possit, haec de consensu ipsius Ecclesiae componere oportebat; quo circa jure dicimus legislationem civilem ea de re in multis peccare, in his praesertim duobus quae sunt gravissimi momenti:

» Primo quidem lex universam statuens de regimine temporali rerum, quos etiam Ecclesia non obtinet a gubernio, sed habet aliunde, constitui debuisse de illius assensu; porro decreta de constitutione fabricarum, et de regimine bonorum sedis episcopalis, titularum parochialium, capitulorum et seminariorum, condita sunt a legislatore civili, absque ullo intervento potestatis spiritualis.

» Ratio insuper habenda erat jurisdictionis primorum pastorum in ipsa gestione bonorum ecclesiasticorum: atqui in eo etiam deficit lex civilis. Casu, v. g. quo oritur conflictus inter episcopum et capitulum, de gestione bonorum mensae capitularis, vel inter parochum et fabricam, lex statuit causam deferendam esse ad ministrum gubernii, cujus erit humano jure decernere inter partes contradicentes: quando necessarium videtur removere a munere alterum e consiliariis fabricae, aut renovare ex integro consilium, episcopo id solum tribuitur ut suas querelas ad ministrum principis dirigat, qui statuet quid opportunum arbitratus sit... Haec et alia hujusmodi probare non possumus; cur enim sententia definitiva, in iis quae gubernium non obstringunt necessitate impensas ex aerario publico subeundi, non adscribitur judici ecclesiastico, cum facultate appellandi ad superiorem in eodem ordine, scilicet ad metropolitanum et ad summum Pontificem? Expedi solum ut, quando agitur de alienatione immobilium, vel de impensis quae excedunt redditus ecclesiarum et municipiis imponuntur, nihil definiatur nisi ex mutuo consensu, sicuti conventum est inter Sanctam Sedem et imperatorem Austriae, in concordatu nuper inito, cujus art. 30 fert: « Bonorum ecclesiasticorum administratio apud eos erit ad quos secundum canones spectat. Attentis subsidiis quae augustissimus imperator ad ecclesiarum necessitatibus providendum ex publico aerario benigne praestat et praestabit, eadem bona vendi, vel notabili gravari onere non poterunt, nisi tum Sancta Sedes, tum Majestas Sua Caesarea, aut ii quibus hoc munus demandandum duxerint, consensum tribuerint. » (T. II, in fine.)

Denique consulantur paginae quas eximie scripsit DD. Parisiis, episcopus tunc Lingonensis hodie Atrebatensis, sub titulo sequenti: *Liberté de*



*l'Église. Premier examen; des empiétements. Est-ce l'Église qui empiète sur l'État? Est-ce l'État qui empiète sur l'Église?* Parisiis, Lecoffre, 1845.

## ADNOTATIO XXI.

*Lib. I, Tit. II, § XVII, n. 426; p. 191.*

## DE LEGE JURI COMMUNI DEROGANTE NON EXTENDENDA.

Principia nostri auctoris valde sunt retinenda ubi agitur de interpretatione Concordatorum juri communi derogantium. Sit in exemplum quæstio longo tempore apud nos agitata, et demum a Sancta Sede definita, circa obligationem Missam pro populo celebrandi et applicandi, diebus festis etiam suppressis virtute indulti, ab eminentiss. cardinali Caprara a latere legato anno 1802 concessi pro reductione festorum. Contendebant plurimi obligationem applicandi Missam diebus festis suppressis fuisse sublatam una cum obligatione Missam prædictis diebus audiendi, et ab operibus servilibus abstinendi. Dabatur ergo lex exorbitans a jure communi, et beneficium legis fideles respicientis in praxi extendebatur ad parochos affirmantes onus applicandi Missam simul fuisse sublatum. Die 3 maii 1858, Sanctissimus D. N. Pius PP. IX, constitutione *Amantissimi Redemptoris*, errantes ad tramites juris et veritatis feliciter reduxit.

» Nos igitur, inquit Pontifex, de spirituali universi Dominici gregis nobis divinitus commissi bono vel maxime solliciti, ac non parum dolentes ex hujusmodi prætermissione fideles illorum locorum populos maximis spiritualibus fructibus privari, tanti momenti negotio occurrere statuimus, cum præsertim noscamus hanc apostolicam Sedem docuisse parochos, diebus festis etiam reductis, debere Sacrum pro populo celebrare. Et sane quamvis Romani Pontifices decessores nostri enixis sacrorum Antistitum petitionibus ac variis pluribusque fidelium populorum indigentis, et gravibus rerum, temporum ac locorum rationibus permoti, festos de præcepto dies imminuendos censuerint, ac simul benigne concesserint ut populi hisce diebus servilia opera libere exercerent, quin Sacrum audire deberent, tamen ii prædecessores nostri in hisce indultis tribuendis integram inviolatamque legem esse voluerunt ut, scilicet prædictis diebus, nihil in Ecclesiis unquam innovaretur quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum, utque omnia eo prorsus modo peragerentur quo antea peragi solebant, cum enuntiata Urbani VIII constitutio plene vigeret, qua festi de præcepto dies servandi fuerant præscripti. Ex quo parochi vel facile intelligere poterant se illis diebus minime expeditos esse ab obligatione applicandi pro populo Missam; quæ potissima ritus pars est, animo præsertim reputantes pontificia rescripta eo plane, quem præ se ferunt, sensu esse omnino accipienda, et ILLA STRICTISSIME ESSE INTERPRETATIONIS. »

## ADNOTATIO XXII.

*Lib. I, Tit. II, § XIX, n. 491; pag. 204.*

## DE JURE QUÆSITO NON TOLLENDO.

In hoc toto § XIX, ubi auctor noster tractat de lege posteriori priorem revocantis, nulla mentio fit de regula XVIII Cancellariæ apostolicæ jus cui libet quæsitum conservante. Ad supplendam hanc omissionem, opportune enuntiabitur prædicta regula, quæ his verbis constat.

« XVIII. De non tollendo jus quæsitum. — Item ne, per varias, quæ pro commissionibus seu mandatis et declarationibus habendis in causis plerumque fiunt, suggestiones justitia postponatur, idem Dominus Noster decrevit et declaravit suæ intentionis fore quod deinceps, per quamcumque signaturam seu concessionem, aut gratiam vel litteras apostolicas pro commissionibus seu mandatis aut declarationibus hujusmodi, etiamsi motu proprio et ex certa scientia, ac etiam ante motam litteram a Sanctitate Sua emanaverint, vel de ejus mandato faciendas, nulli jus sibi quæsitum quomodolibet tollatur. » Cf. eximium opus Joan. Bapt. Rigantii, *Commentaria in regulas, constitutiones et ordinationes Cancellariæ apostolicæ*, Coloniae Allobrogum, apud fratres de Tournes, 1731, t. II. Fuit etiam illud opus Romæ excusum.

## ADNOTATIO XXIII.

*Lib. I, Tit. III, de Rescriptis, § I, n. 26; pag. 219.*

## DE NECESSITATE ET MODO DEROGANDI REGULIS CANCELLARIÆ APOSTOLICÆ.

Nihil docet auctor noster de regulis Cancellariæ et de modo illis derogandi. Regula ultima sic concinnatur:

« LXXI. Quod regulæ Cancellariæ non comprehendantur sub generalibus derogationibus. — Item Sanctitas Sua statuit et declaravit quod præmissis, et quibusve aliis regulis Cancellariæ suo tempore edendis ac publicandis, nunquam censeatur derogatum in quibuscumque constitutionibus, litteris, brevibus, indultis et aliis ordinationibus apostolicis, etiam motu proprio et ex certa scientia emanatis, per quamcumque verba et decreta derogatoria, irritantia, universalis et amplissima, et clausulas quantumcumque efficacissimas, etiam derogatorias, atque specialis et individua expressionis vim habentes et habentia, nisi facta fuerit de illis expressa mentio, et non aliter, nec alio modo. » Cf. Rigantii, *Comm. in reg. Cancellariæ*; T. IV.

Sint in exemplum litteræ apostolicæ occasione concordati, anno 1804, a Pio PP. VII pro Galliis datæ, scilicet *Ecclesia Christi* et *Qui Christi Domini vices*. In litteris *Ecclesia Christi* agebatur de ratificatione et confirmatione conventionis initæ, cuius inter articulos hunc legimus: « III. Summus

» Pontifex titularibus Gallicarum Ecclesiarum » episcopi significabit se ab iis, pro bono pacis et » unitatis, omnia sacrificia firma fiducia expectare, » eo non excepto quod ipsas suas episcopales sedes » resignent. Hac hortatione præmissa, si huic sacrificio, quod Ecclesiæ bonum exigit, renuere » ipsi velint (feri id autem posse Summus Pontifex suo non reputat animo), gubernationibus » Gallicarum Ecclesiarum novæ circumscriptionis, » de novis titularibus providebitur eo qui sequitur » modo. » Igitur articulus ille jus acquisitum archiepiscopis et episcopis Galliarum attingebat, et etiam tollebat, eo scilicet casu quo prædicti episcopi suas sedes resignare nollent, quod pluribus revera accidit. Quapropter in prædictis litteris, ubi ad clausulas derogatorias ventum est, Pontifex licet clausulis amplissimis utatur, regulæ Cancellariæ XVIII, modo ex regula ejusdem LXXI præscripto, derogat ibi: « Non obstantibus synodalibus et provincialibus, generalibusque conciliis, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac nostri et apostolicæ Cancellariæ regulis, præsertim de jure quæsito non tollendo, necnon quarumcumque ecclesiarum, capitulorum, monasteriorum, aliorumque piorum locorum foundationibus, etiam confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, cæterisque contrariis quibuscumque. »

In litteris autem apostolicis *Qui Christi Domini vices*, virtute quarum Ecclesiæ metropolitanae et cathedrales tunc existentes fuerent suppressæ, non tantum regulam de jure quæsito non tollendo sibi contrarium habebat Pontifex, sed aliam insuper regulam sic concinnatam: « XXII. De unionibus et unionum confirmatione. — Item voluit quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri teneantur exprimere verum annum valorum, secundum communem æstimationem tam beneficii uniendo, quam illius cui uniri petitur, alioquin unio non valeat; et semper in unionibus commissio fiat ad partes vocatis quorum interest. Et idem voluit observari in quibusvis suppressionibus perpetuis, concessionibus, dismembrationibus et applicationibus, etiam de quibuscumque fructibus et bonis ecclesiasticis, ac etiam in confirmationibus unionum, singularumque dispositionum hujusmodi. » Porro Pontifex petiit quidem et expectavit titularium resignationes; sed, attentis circumstantiis, eosdem titulares non potuit vocare ut, ante sententiam, definitivam, de more et de jure audirentur; quod scriptis suis ad Pontificem directis episcopi nec resignantes nec resignati postulaverunt his verbis: « Rogamus enixe Sanctitatem Vestram quatenus nobis, transmissis quam primum scripto aliquo, argumenta cur ita nobis statuendum duxerimus, omnemque consilii nostri aperire ac paulo fusius prosequi liceat. Interea vero paterno affectu Vestrae in nos Sanctitatis summo opere confisi, futurum id speramus ut nihil ulterius super hoc negotio definia, quin prius momenta

quibus filii apud pissimum patrem causam agent, pro ea, quæ apud ipsam summa est, æquitate ac prudentia libaverit... Londini, 27 sept. 1801. » (*Lettres des quatorze évêques français réfugiés à Londres, en réponse aux brefs de N. S. P. le Pape Pie VII, du 15 août et du 11 novembre 1801*; Londres, Cox fils et Baylis, 1802.) Igitur Pius VII obstrictus fuit necessitate derogandi regulæ XXII quod et fecit, ibi: « Præsentem autem litteras, et in eis contenta et statuta quæcumque, etiam ex eo quod quilibet in præmissis, seu in eorum aliquo, jus aut interesse habentes vel habere prætendentes etiam quomodolibet in futurum, cujusvis status, ordinis, præeminentiæ et ecclesiasticæ vel mundanæ dignitatis sint, etiam specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad præmissa minime vocati, vel etiam nullimode, aut non satis vel sufficienter auditi fuerint... nullo unquam tempore... notari, impuguari aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari... volumus atque decernimus; non obstantibus de jure quæsito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quarum interest, aliisque nostris et Cancellariæ apostolicæ regulis, etc... »

## ADNOTATIO XXIV.

*Lib. I, Tit. III, § II, n. 53; pag. 224.*

## DE ABSOLUTIONE CENSURARUM AD CAUTELAM.

Etiamnum in dispensationibus super impedimenti matrimonii quæ quotidie Romæ conceduntur, sive ex Dateria sive ex S. Pœnitentiaria, oratores absolvuntur et reipsa absolventi sunt, sive ad cautelam sive ob necessitatem notoriam, quemadmodum illud probant verba usitata, ibi: « Nos igitur eosdem N. et N. specialis gratiæ favore prosequi volentes, necnon eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis, a jure vel ab homine quavis occasione seu causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, horum serie absolventes et absolutos fores censentes... cum iisdem... auctoritate nostra dispenses... » Cf. *Observations sur la fulmigation des dispenses de mariages*, a de Saint-Exupéry, canonico honorario Petrocorensi; Parisiis, apud Méquignon Junioem, 1854.

## ADNOTATIO XXV.

*Lib. I, Tit. III, § V, n. 138; page 240.*

## DE PRIVILEGIO IN FAVOREM CULTUS DIVINI CUM PRÆJUDICIO TERTII.

Auctor noster docet privilegium cum præjudicio tertii esse strictæ interpretationis, nisi in quibus



busdam casibus et speciatim quando privilegium conceditur in favorem cultus divini; tunc enim late sumendum est. Sed quæri potest: An, in concedendo huiusmodi privilegio, derogatio regulæ Cancellariæ XVIII de jure quaesito non tollendo sit necessaria? Sententia affirmans nobis videtur magis consentanea litteræ et menti regulæ, necnon praxi Sanctæ Sedis. Legimus quidem apud Rigan- tium non requiri derogationem, quando agitur de concessionibus emanatis ob bonum publicum, cum publica utilitas particulari præferri debeat (*Comm. in reg. Cancell.*, t. II). Sed anno 1801, quando inter Pium VII et primum reipublicæ Gallicæ consulem, de modo resarciendi damna sanctæ religioni illata conventio inita fuit, sane agebatur de bono publico et generali populorum Gallicæ; attamen, in suis litteris apostolicis supra memoratis *Ecclesia Christi et Qui Christi Domini vices*, Pontifex derogationem prædictæ regulæ necnon alteri exprimere non destitit.

## ADNOTATIO XXVI.

*Lib. I, Tit. III, § VIII, n. 211; pag. 254.*

DE CLAUSULA MOTU PROPRIO IN BREVI INNOCENTII PP. XII LIBRUM: *Explication des maximes des saints, REPROBANTE.*

Mirum quam ineptis observationibus et reservationibus clausula *motu proprio*, in brevi prædicto inserta, apud episcopos Galliarum in conventibus provincialibus adunatos occasione dederit. Legantur documenta a jurisperito Lemerre collecta in opere *Recueil des actes, titres et mémoires concernant les affaires du clergé de France*, tom. I, col. 419 et seqq. Deo optimo maximo favente, nostris diebus res in melius cesserunt. Nullus profecto episcoporum Gallicæ minimam temporis particulam ad tam inania hodie impendere vellet. Non tamen omnes episcopi Galliarum, anno 1699, clausulam præfatam impugnaverunt, nam in conventibus plurium provinciarum Tolosane scilicet, Narbonensis, Remensis, Cameracensis, Viennensis, Ebrudunensis, Bituricensis et Aquensis breve apostolicum receptum fuit sine ulla circa clausulam querela. Non idem dicendum de cæteris, Parisiensi videlicet, Albiensi, Burdigalensi, Senonensi, Auscitana, Rothomagensi, Lugdunensi et Turo-nensi.

## ADNOTATIO XXVII.

*Lib. I, Tit. IV, de Consuetudine, § III, n. 88; pag. 282.*

DE CONSUETUDINIBUS ABROGATIS ET REPROBATIS.

Urbani VIII, in const. *Romanus Pontifex*, 5 jun. 1621, verba quæ magis attendenda sunt hæc: «Necnon reliqua omnia quotcumque et qualia- cumque eidem Sedi apostolicæ vel jurisdictioni,

immunitati aut libertati ecclesiasticæ, seu Eccle- siis vel personis ecclesiasticis earumve juribus, bonis et fructibus quomodolibet præjudicialia, per quoscumque sufficienti et legitima facultate apos- tolica non munitis, facta, gesta, et respective per- petrata cum omnibus et singulis quandocumque et quomodocumque inde secutis, et quocumque tempore longissimo executioni demandatis et ob- servatis, fuisse et esse ipso iure nullas et invalidas, ac nulla et invalida, nulliusque roboris vel mo- menti, indebitaque et illicita, ac de facto præ- sumptas et præsumpta, nullumque præjudicium eisdem intulisse, nec inferre unquam posse, illas- que et illa ex quocumque temporis cursu, nec etiam ex quacumque prætensa observantia, quan- tumlibet diuturna, longæva, longissima seu im- memorabili, etiam cum fama prætensi privilegii apostolici... decernimus.»

In litteris item encyclicis, die 21 martii 1853, a Sanctissimo D. N. Pio PP. IX ad episcopos Galliarum directis, hæc verba seligimus: «Omni igitur epis- copalis vestræ vigilantie studio nihil unquam, ne- que re, neque verbis prætermittite quo fideles ipsi nanc Sanctam Sedem magis magisque ex animo di- ligant, venerentur, omnique obsequio excipiant et exequantur quidquid Sedes ipsa docet, statuit, at- que decernit. Hic autem haud possumus quin vobis exprimamus summum dolorem qua affecti fuimus, ubi, inter alia improba scripta istic vulgata, nuper ad nos pervenit libellus gallica lingua exaratus, ac Parisiensibus typis editus, et inscriptus: *Sur la situation présente de l'Église Gallicane relativement au droit coutumier*, cujus auctor iis plane ad er- satur quæ vobis tantopere commendamus atque inculcamus. Quem libellum nostræ Indicis congregati- oni reprobandum et damnandum commisi- mus.»

Porro istius libelli, de facto a S. C. Indicis dam- nati, quasi summam in cap. v decretorum concilii Ambianensis, ann. eod. 1853 celebrati, deprehen- dimus, et in medium producimus:

«Tradit enim aut insinuat iste liber:

» I. Non solius Papæ iudicio solvendam esse questionem de conciliandis inter se jure reser- vationum quod summo Pontifici competit, et jure proprio Episcopi ad ordinariam suæ diocesis gu- bernationem; et introducendum esse jus consuetu- dinarium tanquam regulam juxta quam hæc lis dirimenda est;

» II. Non improbabilem esse opinionem secundum quam Papæ urgenti abolitionem consuetudinis juri communi contrariæ, in aliquibus diocesisibus exis- tentis, episcopi possunt legitimam oppositionem facere, saltem donec rationes necessitatis recog- nitæ fuerint;

» III. In regione ubi arcta fuit Ecclesiam inte- et statum politicum colligatio, rationabilem fuisse consuetudinem qua constitutiones apostolicæ, ad Ecclesie disciplinam spectantes, tanquam obliga- toriæ non reputantur, quin prius in diocesisibus

promulgatæ fuissent prævio potestatis civilis pla- cito;

» IV. In præsentis episcopos Galliarum posse le- gitime, vi consuetudinis, nonnullas constitutiones apostolicas disciplinam respicientes, si excipiantur casus extraordinarii, agnoscere tanquam pro se non obligatorias, quæ antea non promulgatæ fuerunt in Gallicæ diocesisibus;

» V. Episcopum, in præsentis questionis statu, legitime posse apud nos, vi principiorum juris de consuetudinibus, excludere a sua diocesi, non modo tantum provisorio sed absoluto, liturgiam Romanam;

» VI. In haud paucis suis decisionibus recentibus, congregationes Romanas, a summis Pontificibus pro generali Ecclesie administratione institutas, sequi viam bono Ecclesiarum Gallicæ nocivam;

» VII. Necessitatem recurrendi ad Romam, juxta decisionem Congregationis concilii pro casu in quo aliquis sacerdos foretetur suspensione *ex informata conscientia*, sibi videri plagam auctoritati metropolitanæ inflictam;

» VIII. Nullam apparere rationem prætentionis qua Congregatio Romana concilii, sub prætextu supplendi omissiones, sibi arrogavit jus introducendi additiones in acta conciliorum provincialium;

» IX. Impulsionem, quæ ad amplectendam lit- turgiam Romanam inducit, haud probandam esse;

» Et plura alia quæ cum his assertionibus con- nectuntur.

» Prædictas assertiones et opiniones, alias tan- quam sane doctrinæ contrarias, alias tanquam saltem menti Ecclesie adversas, sanctæ Sedi apos- tolicæ et, sub aliquo respectu, episcopis injurias, summopere improbandas ducimus et improbamus.

» Insuper, etsi conciliorum provincialium conti- nuationem a se exoptari inuat, nihilominus sug- gerit aliam viam ab episcopis sequendam, ita ut collectionem Ecclesiarum Gallicæ, quæ nullum pec- ciliare auctoritatis et jurisdictionis centrum habent, exhibeat tanquam corpus quod deliberare, agere, decernere possit. Introdicit itaque principium regi- minis ecclesiastici perturbativum et periculis gra- vidum, cum in futurum exurgere possint circum- stantia, prout præteriti temporis experientia docet, in quibus schismaticis tentaminibus plurimum fa- veret. Perspicuum est hoc placitum extra viam rectam aberrare. Equidem Ecclesie mos est, imo et præceptum, episcopos plurimis de rebus decer- nere communi consilio et actu, quando id suarum dioceseon utilitas postulerit. Sed Ecclesia, quæ est acies bene ordinata, et in qua omnia ex or- dine fiunt, non voluit has communes sanctiones, concertatione arbitraria, absque regulis, et sine summi Pontificis interventu, confici. Sapientis- simo enim ordine constitutum est primo ut epis- copi uniuersusque provincie ad concilium rite celebrandum, vocante metropolitano, in unum conveniant; deinde ut, omnium conciliorum pro- vincialium decretis, priusquam publicentur, Sanctæ

Sedis iudicio submissis, episcoporum actio, in ca- pite Ecclesie ad unitatem redacta, vere communis efficiatur. Cum ergo episcopis incumbit officium declarandi aut statuendi, communi sanctione, re- gulas circa doctrinam, mores et res ecclesiasticas, synodi provinciales sunt via bona, Ecclesie praxi consentanea, canonibus præscripta, Sanctæ Sedis apostolicæ probata, quam solam, nisi adsint obs- tacula et extraordinariæ necessitates urgeant, et tunc quidem cum intentione submitteendi quam pri- mum res actas summo Pontifici, a nobis tenendam esse profitemur.

» Indigitavimus hujus libri summam. Jam vero si quæretur unde profluat spiritus ille quem in eo reprobavimus, quique totum ipsum quasi inficit, rem penitus scrutantibus nobis apparet situm esse hunc fontem in duabus opinionibus, quarum prior negat auctoritatem summi Pontificis supremam esse pro gubernanda Ecclesia potestatem, et de- clarat aliam esse potestatem quæ ipsi superior sit; posterior vero qua affirmatur solemnitas summi Pontificis iudicia, in causis fidei ex cathedra pro- lata, de se reformabilia esse, eorumque irrefor- mabilitatem ab aliqua extrinseca sanctione pen- dere. Ex quo enim vicarii Christi auctoritas qualis est non agnoscitur, facile intelligitur qua ratione multipliciter in ipsam peccari possit. Quapropter duas istas opiniones in ecclesiis, seminariis et scho- lis nostrarum dioceseon doceri omnino prohi- bemus.»

Cl. *Observations sur un mémoire adressé à l'épis- copat sous le titre: Sur la situation présente de l'Église Gallicane relativement au droit coutumier; Paris, Lecoffre, 1852. — Mémoire sur le droit coutumier jugé par le Pape, les Cardinaux et les Evêques; Paris, 1853, Lecoffre.*

Legatur denique apud Giraldum, *Expositio jur. pontif. juxta recentiorum Eccl. disciplinam*, nova edit. Romæ, apud Dominicum Ercole, 1829, clen- chus consuetudinum a jure et a summis Pontifi- cibus abrogatarum et reprobatarum; quæ con- suetudines usque ad numerum CV perveniunt.

Ex illis hoc in loco quasdam referre placet:

I. Consuetudo dimittendi dignitates ecclesia- sticas sine superioris licentia, easque adminis- trandi sine ejusdem confirmatione; cap. *Cum ve- nerabilis*, 7, de Consuetudine.

II. Item retinendi simul duo beneficia incom- patibilia, absque legitima dispensatione; cap. *Con- suetudinem*, 1, eod. tit. in 6.

III. Item appellandi a vicario generali ad epis- copum, cap. *Non putamus*, 2, eod. tit. in 6.

IV. Consuetudo tollendi, aut restringendi liber- tatem eligentium in electione prælati ecclesiastici, cap. *Cum terra*, 14, de Elect.

V. Item iudicandi clericorum causas juxta lai- corum consuetudines, et non juxta sacros canones; cap. *Quod clericis*, 9, de Foro competent.

VI. Item præscribendi absque bona fide; cap. *Quoniam*, 20, de Præscriptionibus.